

## AUSONE

## ORDO URBIUM NOBILIIUM (168 vers)

- ROMA.
- 01 v.1 Prima urbes inter, divum domus, aurea Roma.
- CONSTANTINOPOLIS ET CARTHAGO.
- 02 v.1 Constantinopoli adsurgit Carthago priori,  
2 non toto cessura gradu, quia tertia dici  
3 fastidit, non ausa locum sperare secundum,  
4 qui fuit ambarum. Vetus hanc opulentia praefert,  
5 hanc fortuna recens : fuit haec, subit ista novisque  
6 excellens meritis veterem praestringit honorem  
7 et Constantino concedere cogit Elissam.  
8 Accusat Carthago deos jam plena pudoris,  
9 nunc quoque si cedat, Romam vix passa priorem.  
10 Conponat vestros fortuna antiqua tumores.  
11 Ite pares, tandem memores, quod numine divum  
12 angustas mutastis opes et nomina : tu cum  
13 Byzantina, Lygos, tu Punica Byrsa fuisti.
- ANTIOCHIA ET ALEXANDRIA.
- 03 v.1 Tertia Phoebeae lauri domus Antiochia,  
2 vellet Alexandri si quarta colonia poni.  
3 Ambarum locus unus et has furor ambitionis  
4 in certamen agit vitiorum. Turbida vulgo  
5 utraque et amentis populi male sana tumultu.  
6 Haec Nilo munita quod est penitusque repostis  
7 insinuata locis, fecunda et tuta superbit,  
8 illa, quod infidis opponitur aemula Persis.  
9 Et vos ite pares Macetumque adtollite nomen.  
10 Magnus Alexander te condidit : illa Seleucum  
11 nuncupat, ingenuum cujus fuit ancora signum,  
12 qualis inusta solet generis nota certa : per omnem  
13 nam subolis seriem nativa cucurrit imago.
- TREVERIS
- 04 v.1 Armipotens dudum celebrari Gallia gestit  
2 Trevericaeque urbis solium, quae proxima Rheno  
3 pacis ut in mediae gremio segura quiescit,  
4 imperii vires quod alit, quod vestit et armat.  
5 Lata per extantum procurrunt moenia collem ;  
6 largus tranquillo praelabatur amne Mosella,  
7 longinqua omnigenae vectans commercia terrae.
- MEDIOLANUM
- 05 v.1 Et Mediolani mira omnia, copia rerum,  
2 innumerae cultaeque domus, facunda virorum

3 ingenia et mores laeti, tum duplice muro  
 4 amplificata loci species populique voluptas  
 5 circus, et inclusi moles cuneata theatri ;  
 6 templa Palatinaeque arces opulensque moneta  
 7 et regio Herculei celebris sub honore lavacri ;  
 8 cunctaque marmoreis ornata peristyla signis  
 9 moeniaque in valli formam circumdata limbo.  
 10 Omnia quae magnis operum velut aemula formis  
 11 excellunt nec juncta premit vicinia Romae.

## CAPUA.

06 v.1 Nec Capuam pol agri cultuque penuque potentem,  
 2 deliciis, opibus famaue priore silebo,  
 3 fortuna variante vices, quae freta secundis  
 4 nescivit servare modum. Nunc subdita Romae  
 5 aemula, nunc fidei memor ; ante infida, senatum  
 6 sperneret an coleret dubitans, sperare curules  
 7 Campanis ausa auspiciis unoque suorum  
 8 consule, ut imperium divisi adtolleret orbis.  
 9 Quin etiam rerum dominam Latiique parentem  
 10 adpetiit bello, ducibus non freta togatis.  
 11 Hannibalis jurata armis deceptaque in hostis  
 12 servitium demens specie transivit erili.  
 13 Mox, ut in occasum vitiis communibus acti  
 14 conruerunt Poeni luxu, Campania fasto  
 15 (heu numquam stabilem sortita superbia sedem !).  
 16 Illa potens opibusque valens, Roma altera quondam,  
 17 comere quae paribus potuit fastigia conis,  
 18 octavum rejecta locum vix paene tuetur.

## AQUILEIA.

07 v.1 Non erat iste locus : merito tamen aucta recenti,  
 2 nona inter claras Aquileia cieberis urbes,  
 3 Itala ad Illyricos objecta colonia montes,  
 4 moenibus et portu celeberrima. Sed magis illud  
 5 eminent, extremo quod te sub tempore legit,  
 6 solveret exacto cui sera piacula lustro  
 7 Maximus, armigeri quondam sub nomine lixa.  
 8 Felix, quae tanti spectatrix laeta triumphi  
 9 punisti Ausonio Rutupinum Marte latronem.

## ARELAS.

08 v.1 Pande, duplex Arelate, tuos blanda hospita portus,  
 2 Gallula Roma Arelas, quam Narbo Martius et quam  
 3 accolit Alpinis opulenta Vienna colonis,  
 4 praecipitis Rhodani sic intercisa fluentis,  
 5 ut mediam facias navali ponte plateam,  
 6 per quem Romani commercia suscipis orbis  
 7 nec cohibes populosque alios et moenia ditas,  
 8 Gallia quis fruitur gremioque Aquitania lato.

## HISPALIS (vel EMERITA), CORDUBA, TARRACO, BRACARA.

09 v.1 Clara mihi post has memorabere, nomen Hiberum,  
 2 Hispalis, aequoreus quam praeterlabitur amnis,

3       submittit cui tota suos Hispania fasces.  
 4       Corduba non, non arce potens tibi Tarraco certat  
 5       quaqueque sinu pelagi jactat se Bracara dives.

ATHENAE.

O10     v.1     Nunc et terrigenis patribus memoremus Athenas,  
           2       Pallados et Consi quondam certaminis arcem,  
           3       paciferae primum cui contigit arbor olivae,  
           4       Attica facundae cujus mera gloria linguae,  
           5       unde per Ioniae populos et nomen Achaeum  
           6       versa Graia manus centum se effudit in urbes.

CATINA, SYRACUSAE.

O11     v.1     Quis Catinam sileat, quis quadruplices Syracusas ?  
           2       Hanc ambustorum fratrum pietate celebrem,  
           3       illam complexam miracula fontis et amnis,  
           4       qua maris Ionii subter vada salsa meantes  
           5       consociant dulces placita sibi sede liquores,  
           6       incompactarum miscentes oscula aquarum.

TOLOSA.

O12     v.1     Non umquam altricem nostri reticebo Tolosam,  
           2       coctilibus muris quam circuit ambitus ingens  
           3       perque latus pulchro praelabatur amne Garumna,  
           4       innumeris cultam populis, confinia propter  
           5       ninguida Pyrenes et pinea Cebennarum,  
           6       inter Aquitanas gentes et nomen Hiberum.  
           7       Quae modo quadruplices ex se cum effuderit urbes,  
           8       non ulla exhaustae sentit dispendia plebis,  
           9       quos genuit cunctos gremio complexa colonos.

NARBONA.

O13     v.1     Nec tu, Martie Narbo, silebere, nomine cujus  
           2       fusa per immensum quondam provincia regnum  
           3       optinuit multos dominandi jure colonos.  
           4       Insinuant qua se Grai Allobroges oris  
           5       excluduntque Italos Alpina cacumina fines,  
           6       qua Pyrenaicis nivibus dirimuntur Hiberi,  
           7       qua rapitur praeceps Rhodanus genitore Lemanno  
           8       interiusque premunt Aquitanica rura Cebennae,  
           9       usque in Teutosagos paganica nomina Belcas,  
 10       totum Narbo fuit : tu Gallia prima togati  
 11       nominis attollis Latio proconsule fasces.  
 12       Quis memoret portusque tuos montesque lacusque,  
 13       quis populos vario discrimine vestis et oris ?  
 14       Quodque tibi Pario quondam de marmore templum  
 15       tantae molis erat, quantam non sperneret olim  
 16       Tarquinius Catulusque iterum postremus et ille,  
 17       aurea qui statuit Capitolii culmina, Caesar ?  
 18       Te maris Eoi merces et Hiberica ditant  
 19       aequora, te classes Libyci Siculique profundi,  
 20       et quidquid vario per flumina, per freta cursu  
 21       advehitur : toto tibi navigat orbe catapulus.

## BURDIGALA.

O14 v.1 Impia jamdudum condemno silentia, quod te,  
 2 o patria, insignem Baccho fluviisque virisque,  
 3 moribus ingeniisque hominum procerumque senatu,  
 4 non inter primas memorem, quasi conscius urbis  
 5 exiguae immeritas dubitem contingere laudes.  
 6 Non pudor hinc nobis ; nec enim mihi barbara Rheni  
 7 ora nec arctoo domus est glacialis in Haemo :  
 8 Burdigala est natale solum, clementia caeli  
 9 mitis ubi et riguae larga indulgentia terrae,  
 10 ver longum brumaeque novo cum sole tepentes  
 11 aestifluique amnes, quorum juga vitea subter  
 12 fervent aequoreos imitata fluenta meatus.  
 13 Quadrua murorum species, sic turribus altis  
 14 ardua, ut aerias intrent fastigia nubes.  
 15 Distinctas interne vias mirere, domorum  
 16 dispositum et latas nomen servare plateas,  
 17 tum respondentem directa in compita portas ;  
 18 per mediumque urbis fontani fluminis alveum,  
 19 quem pater Oceanus refluo cum impleverit aestu,  
 20 adlabi totum spectabis classibus aequor.  
 21 Quid memorem Pario contectum marmore fontem  
 22 Euripi fervere freto ? Quanta umbra profundi !  
 23 Quantus in amne tumor ! Quanto ruit agmine praecipit  
 24 marginis extenti bis sena per ostia cursu,  
 25 innumeros populi non umquam exhaustus ad usus !  
 26 Hunc cuperes, rex Mede, tuis contingere castris,  
 27 flumina consumpto cum defecere meatu,  
 28 hujus fontis aquas peregrinas ferre per urbes,  
 29 unum per cunctas solitus potare Choaspen.  
 30 Salve, fons ignote ortu, sacer, alme, perennis,  
 31 vitree, glaucae, profunde, sonore, inlimis, opace.  
 32 Salve, urbis genius, medico potabilis haustu,  
 33 Divona Celtarum lingua, fons addite divis.  
 34 Non Aponus potu, vitrea non luce Nemausus  
 35 purior, aequoreo non plenior amne Timavus.  
 36 Hic labor extremus celebres collegerit urbes.  
 37 Utque caput numeri Roma inclita, sic capite isto  
 38 Burdigala ancipiti confirmet vertice sedem.  
 39 Haec patria est : patrias sed Roma supervenit omnes.  
 40 Diligo Burdigalam, Romam colo ; civis in hac sum,  
 41 consul in ambabus ; cunae hic, ibi sella curulis.